



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere  
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem  
libros partitum**

**Marulić, Marko**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 M 1298**

de impatie[n]tiæ vitio erga proximum. c. 25.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35578**



susdeum cauendum sit, quanto magis a maledicto siue blasphemia. Cumq; ois impatientia iustitiã dei non operetur, non frustra de salute Philippien. sollicitus Apostolus: Omnia (inquit) facite sine murmurationibus & hæitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ. Ex his ostenditur, cum qui patiens est, nunquam murmurare, nūquam conqueri: sed inter malos quoq; mitem atque mansuetum esse, & inter inquietos quietum. Impatiens autem prius ipse suæ iniquitatis causa est, deinde etiam aliorum; hos odit, illis irascitur, alios contumelios, alios afficit verberibus. Ipse vero intra se iracundia æstuat, bile tumet, luore consumitur, iuxta illud, Zelus & iracundia minuent dies. Dum ergo alteri nocere affectat, seipsum perdit, immo quod deterius est, seipsum æterna pœna dignum efficit, dū alterum odio atque malivolentia persequi non desistit.

Eccle. 10.

De impatientiæ vitio erga proximum. Caput XXV.

**P**ersequamur igitur nunc in proximos impatientiam, ostendamusq; quanto ipsa suo autori detrimento sit. Hæc est q̄ nos facit iracundos, ita vt leuissimis interdum de causis intemperanter commoti rixemur, depugnemus, ad arma concurramus. Canum ferocium ista rabies est, qui portento tantum contra se digito irritantur, & frendenti rictu hominem allatrant. Turpe est autem nobis caninam habere iracundiam & ad quilibet offensunculam indecētius q̄ oporteat turbari ac furere, & esse domum super arena fundatã q̄ ventorum evertit flatus. vel harundinem illam, quam etiã leues auræ grauitèr exagitant & percellunt. Vix quidem vlla in re modestiam seruabit, qui cohibere nescit iracundiam. Salomonis ista sententia est dicentis. Qui ad indignandum facilis est erit ad peccandum procliuor. Ille præterea qui in paruis grauitèr irascitur, magnam iniuriam quomodo feret? Nōne in rabiem tunc vertetur, cum paulo deterius læsus fuerit. Quanq̄ eos etiam



qui non læduntur, in effrenata impatientia interdum in  
 rabilem agit: sicut & illos, de quibus paulo ante locu-  
 ti sumus, qui neque fratribus, neque liberis, neque dei  
 sacerdotibus, neque fœtibus in alio matrum adhuc la-  
 tentibus pepercere. Ut autem ista quoque minus mi-  
 remur, Moabitæ, Moabitarum impatientia facit, qui regis Idu-  
 mæorum ossa de tumulo eruta, ignominia causa igni  
 cremarunt. Quis erit iracundia finis, si neque morte  
 eorum, quos odio habet satiatur, & in corpora quoque  
 humo obruta desæuit? Merito igitur tantam animo-  
 rum feritatem etiam in nationes incredulas ultus est de-  
 us, dicente Amos propheta: Super tribus sceleribus Mo-  
 ab, & super quatuor non conuertam eum, eo quod in-  
 cenderit ossa regis Idumææ vsque ad cinerem. Et mit-  
 tam (inquit) ignem in Moab, & deuorabit ædes Cari-  
 oth, & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ, &  
 disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes  
 eius interficiam cum eo, dicit dominus. Quod si ita in-  
 fidelium impatientiam punit interdum deus, quanto  
 magis credentium, quibus leges dedit & præcepta, &  
 notitiam sui? Iure igitur ac merito Salomon, dum per-  
 penderet impatientis furentem iracundiam, Graue est  
 saxum (inquit) & onerosa arena, sed ira stulti utroque  
 grauior. Et prosequitur, dicens: Ira non habet mise-  
 ricordiam nec erumpens furor, & impetum concitati  
 quis ferre poterit? Quid autem infelicius, quam care-  
 re misericordia & dilectione, sine qua beatitudinem cõ-  
 sequi nequimus? Idcirco impatientia ipsa, quia chari-  
 tati contraria est, deo etiam qui charitas est, aduersa-  
 tur & repugnat, animum a cælestium contemplatione  
 auertit, & æterni boni reddit negligentem. Impetien-  
 tia enim tota de rebus terrens est, a quibus certe quan-  
 to secedimus longius, tãto proximiores deo efficiuntur.  
 Cui quidem si iungi volumus, humilitate opus est, &  
 patientia & omni mãsuetudine, non supercilio, nõ indi-  
 gnatione, neque ira, quæ deus odit & execratur. Post  
 hæc mentem quoque hominis excæcat impatientia, &  
 quæ recta veraque sunt, non sinit dignosci neque intelli-

Moabitæ

Amos.1.

Prou.27.



gi. Ideoque ista animi perturbati passio, maxime in iudicijs faciendis cauenda est. Nunquam enim iuste iudicabit qui iratus est. Nam si ille cui iratus fuerit, pro crimine delato mulctari merebitur, hic vlciscendi auiditate iustæ pœnæ modum excedet; aut si de rebus lis erit omiſſa iudicij consultatione, aduersus eum cui infensus est, ferre sententiam festinabit, & conuertet (vt in Amos propheta est scriptum) in amaritudinem iudicij, & frustum iustitiæ in absynthium, non causam cōsiderans dū iudicat, sed personas. Nec solum iniustum verique nescium hominem facit impatientia, sed etiam si ei ratione non resistitur, ad insaniam vsque deducit. Vnde furere dicitur is, qui impatiētiae stimulis actus, ira inflammat. Ardent oculi, tremunt labia, frons adducitur, arteriæ clamoribus intumescunt, os distorquetur, verba sine delectu effutiuntur, facies aut rubore aut pallore confunditur, & breuiter nihil tam simile alienatæ mentis homini quam homo præter modum iratus. Quod si aspectui tā fœdo nō satis credis, facta inspice. Princeps illic sacerdotū in Ch̄m iratus, ipse sua scidit vestimenta. Quid aut dementius q̄ in altero indignari, & a semet pœnas exigere? Achab etiā rex Israel, q̄d Naboth Iezraelita vineam suā ipi petenti neq; v̄dere neq; cōmutare voluit, tātū furoris cōcepit, vt domū reuersus lectulo se intecerrit, panēq; nō comederit, inedia se cōficiēs, donec vxoris tadē vsus consilio, Nabotho per dolū subiato, agellū eius vi possedit. Achitophel Iudatæ militiæ princeps, Ab solonis ptes secutus, indigne ferens q̄ ille aduersus Dauidē patrem vti suo consilio noluerit, sibip̄i suspensio mortē cōsciuit. Quis insanus vnq; in altero fœdius desecuit, q̄ in seip̄m iræ impatiens Achitophel? Recte itaque dicit, Stultum in̄erficat iracundia. q̄ndoquidem eo vsq; insaniūt, vt nec suæ vitæ parcant, & dū in altero sauidi negatur facultas, in semetip̄os grassantur. Sunt p̄terea q̄ irati sanctos maledictis laceſſant, sed cum dñm eadem oris petulātia prouocare non formident, minus mirum est, quod etiam seruos eius quomodo possunt offendant. de quibus quia satis paulo ante dictum sit, hoc

Amos. r.

Facies irati.

Matt. 26.

3. reg. 21.

2. reg. 17.

Iob. 5.

Maledicti in sc̄tōs.



- tantum dicendum restat, quod nec a sanguine eorum, quos deo famulari vident abstrineant, cum indignatur. Quamuis enim eiusdem religionis sint cum his quos infestant, diuersis tamen moribus viuunt, semperque melioribus inuident atque aduersantur. Hinc est quod
- 4.Reg.6.** Ioram Samariæ rex a Syris obsessus, cum fames urbem inuasisset, quid ageret nesciebat, & ex dolore in furorem versus, mandauit interimi Eliseum prophetam, quia nisi prescius cauisset, innocens regis male indignantis culpa perisset. Rex vero quia penitentia ductus humiliavit se, prophetam persequi desijt, & obsidione liberatus est & fame. Tantum prodest repentina prauiprofiti penitudo. Asa quoque Hierosolymæ rex, quoniam ascito sibi Syrorum exercitu ab inuasionem Basæ Samariæ regis se defenderat, coargutus ab Anani propheta, quod fiduciam habuerit in rege Syriæ & non in domino, iussit illum mitti in neruum, & dei nunciam in vincula coniungere non fuit veritus. Sed male illi cessit ista audacia, plurimi de populo perierunt, ipse anno deinde tertio pedum dolore consumptus est. Sed neque Ioachimo Iudææ regi fuit impune, Ieremiæ volumen per manum Baruch scriptum, in quo mala super regno suo ventura prædicebantur, manibus discerpisse tradidisseque igni, ipsosque voluminis autores compræhendi iussisse: quæstos ad necem (vt scriptura ait) dominus abscondit, ac de rege pro culpa puniendo dixit, Non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid, & cadaver eius proijcietur ad æstuum per diem, & ad gelu per noctem, in super mala quæ in volumine descripta fuerant, se adducturum affirmavit. Igitur non multo post urbs euersa, ipse cum populo abductus est Babylonem catenis vinctus, atque in captiuitate perijt. Herodis terrarchæ exercitum, parua quidem Arabum manu ad internitionem pene casum ideo fuisse, quibusdam ex Iudæis visum est (vt Iosephus refert) quia Iohannem baptistam præcipue sanctitatis virum interficere ausus fuerit, vt liberius sceleratis nuptiis, quæ ille arguebat, abuteretur. His exemplis discant superbi quam male indignentur aduersus eos, qui sese Christi



si seruitio dedicarūt. Tu q̄s es (inq̄t Apostolus) qui iudi- Rom. 14.  
 cas alienum seruum? domino suo stat aut cadit, stabit  
 autem: potens est enim deus statuere illum. Quod si ne-  
 fas est iudicare seruum dei, quanto magis eūdem odio  
 habere iniuriaque afficere? Et si neminem similitate at-  
 que inimicitijs persequi debemus: quanto minus eos q̄  
 pro omnibus quotidie precationi insistant, quotidie p̄  
 omnibus sacrificia offerunt, deumque nobis propitiare  
 totis viribus contendunt: nobis baptismum, nobis pec-  
 catorum remissionem subministrant ægrotantibus assi-  
 stunt, mortuos efferunt, pro elatis deo supplican? nū-  
 quid redditur pro bono malū, vt his infensi simus, qui-  
 bus pro beneficio parem gratiam referre nō possumus?  
 Quod autem ne illis quidem qui tecum seculo seruiunt  
 hostiliter irasci debeas, audi veritatis magistrum in eu- Matt. 5.  
 angelio dicentem: Omnis qui irascitur fratri suo, reus  
 erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo rhaca, reus erit  
 concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehēnæ  
 ignis. Nemo igitur non reus est, qui fratri irascitur. Vi-  
 tio fratris irasci rationale quidem est, fratri autem  
 irasci rationi contrarium est. Ex odio enim proficisci-  
 tur, quicquid mali in personam tantum confertur. Dis-  
 ce itaque tres esse male irascendi gradus, alium alto ne-  
 quiozem. Si tacitus irascaris, & linguam a contumelia  
 coerces, reus es iudicio, quia quod iracūdiæ motus in-  
 tra te deliquit, hoc rationis iudicium, ne foris erumpat  
 refrenauit. Grauius autem peccas, cum iratus in verba  
 opprobrii prorumpis, tantoque magis, quanto furiosius  
 id egeris. Rhaca hebræum est, & vanum designat,  
 fatue autem turpius dictum est. Illa ergo impatientiæ  
 indignatio rea est concilio, vbi adhuc pendet sententia  
 donec vel p̄grediaris irascendo vt damneris, vel regre-  
 diaris p̄nitendo vt venia dignus habearis. Porro si  
 vltterius progressus fueris, & furoris impetu in aduer-  
 sum ferri non destiteris, & fratrem tuum quasi ex animi  
 maleuolentia despexeris, reus eris gehēnæ ignis, nisi  
 cessabis ab iniuria, & amare incipies quem oderas. Ta-  
 les ergo excursus habet impatientia, vt hominem im-



moderate furentem, vsq; in abyssum inferni deuehat,  
& pœnis illis, quarum nullus finis est, irreuocabiliter  
tradat, si ei vsq; ad vitæ exitum dominata fuerit.

De ira non vitiosa, sed vtili, & de  
ira dei. Cap. XXVI.

**E**ST tamen ira quædam rationi parens, cum vitis  
irascimur vel nostris vel alienis, hoc est, cum il-  
la corrigi & emendari cupimus. Hinc sane & in  
nos voluntariam corporis castigationem assumere con-  
sueuimus, vt mortiferæ voluptatis incitamenta exclu-  
damus, & carnem spiritui repugnantem, veluti lasciu-  
ens iumentum, fatigatione aliqua laboreq; domemus.  
Illos vero qui curæ nostræ commissi sunt, si monitis  
non obtemperarint, minis verberibusq; persequimur,  
non nocendi causa, sed gratia iuuandi, vt qui sponte se  
se corrigere noluerint, corrigantur saltem inuiti, ne pa-  
reant. Ira igitur ista, quia ratione nititur, non modo  
non culpanda est, sed etiam necessaria. Charitati enim  
proxima est, dum per eam hominum saluti consulitur,  
medicorum more qui putrescentia hulcera incisionibus  
cauterioq; curare aggrediuntur, & morbo irati dū sæ-  
uiunt, restituendæ sanitati operam impendunt. Hinc  
est illud Ecclesiasticis: Melior est ira risu, quia per tristi-  
tiam vultus corrigitur animus delinquentis, tristem  
tantummodo vultum, aduersus æqualium seniorumq;  
crimina ostendere oportet, ne malefacta eorum mitio-  
re aspectu probare videamur, ira tamen abstinendum  
erit, ne magis exasperemus eos, in quos animaduerten-  
di ius non habemus. Illa ira duntaxat nobis concessa est  
qua vel subditos corripimus ne delinquant, vel nosmet  
ipso affligimus, ne malarum cupidinum blandimentis  
vincamur. Porro ira hæc tantum ab ea quæ prohibe-  
tur differt, quæ ratio ab infantia, quæ verum ab er-  
rore, quantum denique iuuandi appetitio a cupiditate  
nocendi. Hanc sequamur, si nobis, si alijs quibus præsi-  
demus consultum volumus. Illam vero brutam & irra-

Eccels. 7